



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. A faciendo ei bello de hortatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

cretales. Pergit: Quid malifacit Turca? Occupat provincias, & temporaliter gubernat. Idem Papa facit; & animas nostras & corpora simul deglutit: quod Turca non facit. Hic suam cuique liberam permisit religionem. Id Papa non facit. In epistola vero ad Germaniæ Nobilitatē, Turcarum dominatu ait nihil esse gratius aut acceptius, ut in quo nec Canonicū nec Civile ius locum habeat. Eoque servitutem potius spiritua-lem unius (Pontificis scilicet) excutiendā, quā temporalibus armis alterius (Turcæ nempe) resistendum. In suā: Solimanno potius obediendū quā Carolo. Erasmus ad fratres inferioris Germaniæ scribens, hunc sermonē & hoc vorū ait frequens esse in ore Lutherano- rum, malle se scilicet sub imperio Turcæ non baptizati, quam sub imperio Turcæ baptizati vivere (sic Carolus V. Imperatorem illi appellabant) Hinc adeo factum est, ut plures etiam aaresignani huius se & a, non solum Alcoranū porticum, verum etiam ipsa Turcarum Moschearum adyta ingressi sint, ut infra dicam, quando nobis de Polonia sermo erit.

II. Turcarum Imperatorem Lutherus in quodam contra Caroli Cæsaris Edicta libello, dicit multo prudentiorem esse & iustiorē Christianis Principibus, eoque populū monet, ne vel arma contra eum sumat, vel quidquam in belli sumptus contribuat. Quid enim boni, inquit, evenire ijs potest qui Deum tentant & blasphemant! An non vides, saccum illum vermiū, Imperatorem, iactare se pro vero & supremo Ecclesiæ Catholice defensore? Et alibi, (b) Male, inquit, faciunt, qui contra Turcā arma sumunt. Quod quid aliud est (d sceleratam stropham & sophisticatorem! quam Deo repugnare? qui nos eo tamquam flagello verberat. At non tam religiosus fuit Lutherus, quum Saxonem & Landgraviū contra Carolū V. Imperatorem; aut cum subditos & rusticos contra Principes & Dominos armavit. Quia vero videbat hoc suū thema à plerisque damnati, purgare se volens, scripto edito demonstrat, cum Turcā belligerandum esse, non quidem eo fine, ut ne religionem nostrā contrariam ab ipso accipere cogamur, sed ut à vi & iniuria nos defendamus. Sic etiam sentiunt, sic loquuntur, qui in schola ipsius educati sunt. Huldericum Huttenū audiamus, cuius tam honorificum in Beza Iconibus extat elogium. *Me quidem non invito, inquit, fiet, ut Turcis obediamus, qui fortes sunt & iustitia studiosi, & vires suas non religioni propugnanda, sed imperij amplificando impendunt.* Et alibi optat, ut Deus Turcā Papā loco

nostris capitibus dominium imponat. Ferox huius hominis ingenium. Beza ait, quum ad cælum antea ipsum extulisset, gloria eius multum obsitisse; quæ tamen ad summum perventura fuerit, nisi in ipso ætatis flore, anno nimirum XXX insignis ille animi ardor antequam maturuerat, subitanea morte fuisset extinctus. Nec vero Lutherus tantum & Huttenus, verum etiam Oecolampadius & alij huius eiusdem voti rei fuerunt, uti passim scripta eorum restantur.

III. In quo illi Arrianorum sequuti sunt exemplum, qui teste Athanasio, cum paganis contra Catholicos Principes fœdera inierunt. Sic etiam Albigenes cum Miramolino Maroci rege, Mahumetano, de Castiliæ rege Catholico communibus armis oppugnando egerunt: quorum insolentia eo usque etiam progressa est, ut Innocentio Papæ nunciari iusserint, propediem se templa qua Roma sunt, in equorum stabula conuersuros. Possem ego quæ novis istis Evangelicis cum Solimanno & Amurathe Turcarum Imperatoribus intercesserint consilia, quæ item Anglorum Reginæ Acatholice Legatus molitus sit, è documentis à fide digno viro acceptis ostendere, tum etiam quomodo Protestantes de Hieremia Patriarcha in exsilium pellendo cum Turca egerint: sed quia hæc ad politicam magis administrationem pertinent, omitto. Sed & hac de re amplior erit dicendi locus, quando nostrorum Evangelicorum vexilla, pulcherrimum illud symbolum, TURCI POTIUS QUAM PAPISTÆ, &c. præferentia, in conspectu omnium posita videbis. Omitto quæ Launius in Republica sua Christiana scripsit: (e) quæ sane incredibile est aliquid nefciuisse, ut qui Consistoriis illis & Synodis militatibus non semel interfuerit. Sed & vel inuitis miseræ Franciæ calamitates infra nobis exposituris, harum rerum mentio obijcietur. Facere tamen hoc loco non possum, quin memorabilem hanc historiam, & à Veneto quodam Nobili Relationibus suis insertam, & à Manlio quoque in Locis communibus allegaram, recenseam; quamvis eadem in Commentarijs ad Coronam Tertulliani, leuiter & velut extremo digito delibæ- rim.

IV. Anno M D XXXIII, quum Solimannus accepisset, quantas turbas unus monachus in totō Christianorum imperio dedisset, & quod is inter

Kk 3

alia

b Luth. Tom. 2. fol. 49. c. lib. 2. cap. 13.